

Ricerche su Adam Scot

III *)

APPENDICE

Gloriosus Magister Adam

Nel 1932 G. Morin ¹⁾, percorrendo rapidamente il codice ambrosiano C 103 sup., contenente una raccolta di 136 lettere di Pietro di Blois, disposte su duplice colonna e scritte probabilmente in Inghilterra intorno al 1200, notò tutta una serie di note marginali, di mano quasi contemporanea, molte delle quali costituite da estratti di opere di Adam Scot ²⁾.

La scoperta presenta senza dubbio un notevole interesse, sia perchè testimonia la considerazione in cui Adam era tenuto già in un'epoca a lui vicinissima (inizio del XIII secolo), sia perchè tali annotazioni — vergate da una mano molto fine con inchiostro rosso — provengono, per la maggior parte, da opere perdute o, almeno, a noi ancora ignote.

L'importanza aumenta, qualora si consideri che il codice in questione ³⁾, contiene altre note marginali riguardanti gli scritti di uomini di indiscussa fama, quali S. Bernardo (cfr. fol. 46^v, fol. 62^v, fol. 63^r, fol. 111^r, fol. 128^r) e S. Anselmo (cfr. fol. 71^v) : ma la preminenza è data al nostro scrittore, definito : « gloriosus magister Adam ».

Si tratta di 12 frammenti ⁴⁾, die lunghezza varia, che ritengo

*) *Analecta Praemonstratensia*, XL, 1964, pp. 17-40; 206-232.

¹⁾ G. MORIN, *Gloriosus Magister Adam*, in *Rev. Bénéd.*, XLIV, 1932, 179-180.

²⁾ L'intero codice è di mano gotica.

³⁾ Lo indicheremo con A.

⁴⁾ Al Morin è sfuggita l'annotazione del fol. 132^r, che in verità, è un rimando a quella contenuta nel fol. 127^r.

opportuno trascrivere, avendo, il Morin — nella sua nota — trascritto soltanto qualche linea qua e là.

L'autenticità dei brani, — a parte la testimonianza esplicita del glossatore che si rivela lettore assiduo ed ammiratore di Adam Scot — è confermata in modo inequivocabile dall'esame stilistico.

La prosa ritmica e spesso rimata ⁵⁾ o comunque con ricorso all'assonanza, è uno degli elementi distintivi — anche se non esclusivo ⁶⁾ — dello scrittore scozzese. Un solo esempio ; nel fol. 114^r leggiamo :

« De lectione ad orationem,
de oratione ad lectionem :
quid, queso, dulcius
et suavius
non dico est
sed vel esse potest ?
In una splendor
in altera calor :
splendor cognitionis,
calor amoris ;
ut et ille ad effectum sanctitatis
illustret / intellectum,
et iste ad desiderium felicitatis
inflammet / affectum ».

Questo esempio ci permette di determinare ulteriormente le caratteristiche della prosa di Adam.

Così l'inversione dei termini, usata come per chiudere in un

⁵⁾ Generalmente la rima è costituita da una stessa forma grammaticale (es.: fol. 111^v: « ... curiositatem... voluptatem... »): tale procedimento è conosciuto col nome di « Gleichformreim »; nella « Michformreim », invece, gli elementi grammaticali sono diversi (es.: fol. 83^r: « ... tolerantes... es... »). A volte la rima è data da differenti composti di una medesima parola (es.: fol. 111^v: « ... confert... aufert... »), o da parole identiche (es.: fol. 19^v: « ... sui... sui... ») o da una stessa radice verbale (es.: fol. 70^r: « ... presunt... prefuerunt... ») o da termini di opposto significato (es.: fol. 18^r: « ... desit... assit... »), o da parole di poco varianti tra loro (es.: fol. 127^r: « ... valentes... volentes... »).

Non infrequenti sono le rime alternate (es.: fol. 18^r: « ... admodum... presenciam... modicum... absenciam... ») e le rime interne (es.: fol. 18^r: 11, 12 e 14).

⁶⁾ Cfr. K. POLHEIM, *Die Lateinische Reimprosa*, Berlin 1925; M. VETRI, *L'ideale di vita sacerdotale presso Filippo di Harveng*, in *Anal. Praem.*, XXXVII, 1961, 5-30, 177-231; *Ad viros religiosos. Quatorze sermons d'Adam Scot* (Ed. F. PETIT, Tongerlo 1934), 69-74.

cerchio definito e completo il concetto espresso (ll. 1-2), ritorna, ampliata e arricchita di nuove determinazioni, in altri luoghi : Fol. 70^r : « ... saporem suavem et suavitatem sapidam... », « ... curiositate elata et elatione curiosa... » ; fol. 83^r : « ... serenitati tranquille et tranquillitati serene... » ; fol. 127^r : « ... studium diligens et diligentia studiosa... ».

Simili espressioni, basate sullo scambio tra sostantivo ed aggettivo, rappresentano una peculiarità dello stile del nostro scrittore.

Altra caratteristica : l'uso di riprendere il concetto già enunciato, diluendolo e dividendolo in « cola » ritmici e rimati, con sempre maggiori specificazioni e determinazioni. Un bell'esempio è costituito dal già citato brano.

Nè va passata sotto silenzio una tipica esclamazione di Adam, che è dato incontrare molto di frequente nelle sue opere : fol. 114^r : « Absit semel et iterum, absit sepe et semper... ».

A queste testimonianze di ordine stilistico — e perciò di critica interna —, è da aggiungere una prova di critica esterna, capace da sola a dissipare ogni minima ombra di dubbio, se mai fosse necessario.

La annotazione del fol. 19^r, infatti, è un estratto del sermone predicato da Adam il 6 dicembre, « dies natalis » di S. Nicolao, non ad adulti, bensì a ragazzi : sermone che si ritrova tra i venti « in festivitalibus natalitiis sanctorum » ⁷⁾, pubblicati nel 1901 da W. de Gray-Birch ⁸⁾.

Fol. 18^r, marg. infer. Magister Ada Carthusiensis de quibusdam claustralibus qui desiderant preesse. Num te episcopatus ambitio pulsat ? Certe ut de periculo dicere supersedeam quod ex tunc imminet animarum, sicut te tui timent inferiores, sic et tu tuos timebis superiores ; minusque eris dominus, obsequium ab illis accipiens, et magis quoque servus istis inpendens.

An prioris vel abbatis loco presidere delectat ? Attende quia multorum eris servus dominorum, quia, quot tibi videntur esse

⁷⁾ Sermones (P. L. 198, col. 96 A).

⁸⁾ Sermo de Sancto Nicolao (Sermones Fratris Adae Ordinis Praemonstratensis. *Twenty eight Discourses of Adam Scot of Withorn hitherto unpublished*, Ed. W. DE GRAY-BIRCH, Edinburgh 1901, 8-14). Cfr. J. BULLOCH, *Adam of Dryburgh*, London 1958, 131-132.

L'indicazione, in nota, di passi collaterali contenuti nelle varie opere dello scrittore scozzese, non fanno che rafforzare, confermandola, la tesi della autenticità degli estratti del Codice Ambrosiano C. 103 Superiore.

subiecti, tot profecto erunt tibi domini; illisque semper servies a quibus numquam gratias recipies et pro omni labore quem seminabis, nequaquam amorem sed odium metes. Ad extremum vero ipsi te fortassis eicient qui vocaverunt, deponent qui posuerunt; et qui tibi aliquando dixerunt: « veni et super nos regnum accipe », vice versa et mutata voce de te dicent: « nolumus hunc regnare super nos »⁹⁾.

Quod si adhuc eos opere pravo, vel pudor vel certe impossibilitas retraxerit, sed multotiens voluntas eis non deerit, modicum eis curantibus si per alium id ageretur, immo multum plerumque exoptantibus dummodo eis non imputaretur. Semper timebis ne tibi desit: semper desiderabis ut assit. Debita supra modum excrescent, urgebunt violenter creditores, instabunt petentes quos perhorresces, timebis et supervenientes, formidabis ne minuatur quod adest, non eris securus quia conferatur quod deest, cupidus in acquirendis necdum habitis; avarus, vel quod non minus malum est, prodigus eris in expendendis iam acquisitis. Adulator eris hospitibus, corde et corde eis loqueris, placere tibi admodum eorum asseres presenciam quorum non modicum desiderabis absenciam.

Dolebis graviter quando necessaria deerunt, quia petentes multi instabunt. Paucos etiam datores et plurimos habebis exactores. Et, ut ait Ecclesiastes: « cuncti dies tui erumpnis et doloribus pleni erunt, nec per noctem mente requiesces »¹⁰⁾. Et hec omnia aliquaque in hunc modum multa extrinsecus erunt.

Nam intrinsecus nunquam tibi pax erit, nunquam bellum deerit. Semper tui tibi etc.

Quisquis in hiis instrui desiderat plenius et perfectius, audiat gloriosum virum magistrum Adam Cartusiensem, ubi hanc materiam prosequitur in meditatione sua sabbato sancto pasche, et discat qualiter appetenda sit preelatia et que sint consequencia.

Fol. 19^r, marg. infer. Magister Adam Carthusiensis in quodam sermone de sancto Nicholao habito ad pueros. Et dum puer fuit, qualem se habuit? Innocenter puerilia iura transcendens, evangelice institutionis discipulus effectus, iura puerilia transcendens, ut etiam si puer esset, puerilis non esset: etatem quidem teneram pretendens, levitatem vero non admittens. Et magne profecto ac eximie

⁹⁾ Luc. XIX, 14.

¹⁰⁾ Eccles. 2, 23.

laudis est puerum te esse, nec tamen ut puerum te habere, florentibus in te sensibus pro canis ¹¹⁾ et vita possidente ¹²⁾ immaculata pro etate senectutis. Puer fuit, sed puerilis non fuit, quia iura puerilia transcendit.

Sicut et ille auree lingue vir de Zosima puero canit : « instituit annorum legem cohibere suorum. / Instituit, inque brevi mutatis moribus evi, / mores doctorum transcendit, doctor eorum » ¹³⁾.

Quam laudabile ut puer etate, senex sis conversatione. Sicut et de beato Thobia legimus : « Quia cum esset iunior omnibus in tribu Neptalim, nil tamen puerile gessit in opere ».

Fol. 23^v, marg. infer. Magister Ada Carthusiensis de inquinamento spiritus et carnis : « Emundemus nos », ait Apostolus, « ab omni inquinamento carnis ac spiritus » ¹⁴⁾. Quid esse putamus inquinamentum spiritus ? Superbie tumorem. Et quid carnis ? Luxurie fetorem ¹⁵⁾. Sunt quidem nonnulla alia, sed ista mihi videntur sordidiora. Num solum illum quis inquinari asserit, qui corpus suum per libidinem polluit ? Non utique solus ille, quia sordidus est et ille, qui mentem per elationem extollit. Dicit namque vir sapiens : quia immundus est omnis qui exaltat cor suum.

Ecce quia non solus ille immundus qui corpus suum fedat, quia est et ille, qui cor suum exaltat. Non ille solus qui sordidus est corruptione corporis sui, sed et ille qui superbus est in mente cordis sui.

Fol. 64^r, marg. infer. Gloriosus magister Adam Carthusiensis in quadam sua meditatione de oratione Domini in cruce, invitans ad patientiam. Oratio Domini in cruce : « Pater dimitte illis ; non enim sciunt quid faciunt ¹⁶⁾ ; pro peccantibus in te oras et eorum in aliquo peccatum excusas ».

Quid ad hec dicere valeo miserrimus ego homuncio, qui,

¹¹⁾ A: exp.

¹²⁾ A: possente.

¹³⁾ HIDELEBERTUS TURONENSIS, *Vita beatae Mariae Aegyptiacae* (P. L. 171, col. 1322).

¹⁴⁾ II Cor. VII, 1; cfr. fol. 123^r; *Sermo XLI. In die Circumcisionis Domini* (P. L. 198, col. 374).

¹⁵⁾ *De ordine...* (P. L. 198, col. 488).

¹⁶⁾ Luc. XXIII, 46.

quando mihi videtur quod in me vel tenuiter delinquitur, ita supra modum insanio quod nec meipsum portare queo ?

O superba et tumida anima mea, similis per omnia vesice cum vento fuerit inflata ! Quid dicis audiens mitissimum agnum illum de ipsa crucis altitudine pro crucifixoribus suis intercedere, et ad quamdam excusationem ipsorum ignorantiam opponere ? Nescis quicquam apud te revolvere cum aliquid proterve voluntati tue factum fuerit contrarium, nisi quicquid ad litem spectat et perturbationem. Clamoso intra te silentio omni amaritudine pleno absentes aggredieris eos qui non assunt, representas in surdorum auribus, ipse mutus clamas, conqueris de preterito, minaris et de futuro, reprehendis et accusas, mordes et dilanias, crudeliter te vindicas cum nichil mali cuiquam inferas, percutis et nemo sentit, prosternis et nemo cadit, loqueris et nemo respondet, aufers et nemo perdit, inhonoras nec aliquis iniuratur, occidis cum nemo moriatur.

Ubi est tunc o misera, « Pater dimitte illis ; non enim sciunt quid faciunt ¹⁷⁾ » ? Auribus audiendi audi hec verba

Redemptoris tui in tempore iracundie, ut, cum forte delinquitur in te, non tam ad accusandum prosilias intra te, quam ad excusandum et delinquentis ignoranciam.

Hoc modo coram te oppone : nescivit quid fecit ; si enim sciret, non faceret. Iccirco modici ponderis est quod fecit, quia ignorans fecit. Si ego tale quid alicui fecissem, magnum reatum incurrissem, quia quod in ipso pro modico debet haberi, hoc in me pro magno debet reputari. Et ideo modicum deliquit, quia et si forte malum fecit, non tamen pro malo fecit. Si haec apud te volueris revolvere quod in te commissum est, levius poteris ferre.

Fol. 68^v, marg. infer. Magister Ada carthusiensis de quibusdam gulosis in religione in quadam meditatione. « In mentem nobis veniunt cucumeres et pepones, porri et cepe ed allia » ¹⁸⁾.

Cucumeres et pepones dulces sunt, porri vero et cepe acres existunt et allia, commedentem lacrimas fundere compellunt. Illi-citas proinde per cucumeres et pepones voluptatum carnalium suavitates, per porros vero, cepas et allia, exteriorum accipimus occupationum amaritudines ¹⁹⁾.

¹⁷⁾ Luc. loc. cit.

¹⁸⁾ Num., XI, 5.

¹⁹⁾ Cfr. De ordine, habitu atque professione canonicorum ordinis praemonstra-

Et huiusmodi cibi Egyptii reficiuntur, quia et carnis feda dulcedine et implicationum nimia sollicitudine delectamur, quibus nonnulli qui modo ad asperitatem religionis venerunt, ingurgitari dampnabiliter in usu habuerunt, quam diu in seculo ipsi fuerunt. « Audierunt », ait Dominus verbum « et a sollicitudinibus et divitiis et voluptatibus vite euntes, suffocantur et non referunt fructum »²⁰⁾.

Divicie ergo et voluptates ad cucumeres pertinent et pepones, sollicitudines vero ad cepas, porros et allia, quia et ille mentem miseram per molliciem resolvunt, et iste par afflictionem premunt. Et hec sibi in mentem falsi isti Israelite, in deserto iam positi et iter nihilominus versus promissionis ingressi, venire asserunt et iccirco ea concupiscunt. Et inde est quod panem angelorum, quem eis Dominus de celo dat manducandum, fastidiunt : unde mormorantes et conquerentes dicunt : « Anima nostra²¹⁾ arida est : nil aliud respiciunt oculi nostri nisi manna »²²⁾.

Quid manna nisi suavitas interne dulcedinis, que in pinguedine meditationis, puritate orationis, sapore compunctionis, gratia divine visitationis, et in studio consistit sacre lectionis ?

Nil aliud nisi hec se dicunt respicere ac si hec vel omnino nulla, vel admodum modica bona essent. Sed longe melius etc.

Qui super hec plus queret²³⁾, in meditatione magistri Ade plenius de hac materia inveniet.

Fol. 70^r, marg. infer. Loquitur magister Ada de sepulcro Domini in quadam sua meditatione. Magister Ada carthusiensis de vanis fictis perversis et cupidis simulatoribus in religione. Semper lites concitant, discordias fovent notis digitorum inordinatis et semicorrosis verbulis²⁴⁾, quicquid vident reprehendunt, sussurrant in angulis, detractiones nutriunt, scandala faciunt, scismata generant, infamia multiplicant, malicioso erga superiores suos consensu se

tensis (P. L. 198, 494); *De instructione animae* (P. L. 198, col. 857); *Sermo XLVII In dominica II post Epiphaniam* (P. L. 198, col. 432); *Allegoriae in universam sacram Scripturam* (P. L. 112, col. 1026-27, 1031).

²⁰⁾ Luc. VIII, 14.

²¹⁾ A: iter.

²²⁾ Num. XI, 6; cfr. *De instructione...* (P. L. 198, col. 857).

²³⁾ Morin: quereret.

²⁴⁾ Cfr. *De tripartito tabernaculo. Proem. I* (P. L. 198, col. 613); *De ordine...* (P. L. 198, col. 491).

erigunt, conspiratione mortifera erga eos rebellant, unitatem dividunt, fraternam pacem perturbant, illos qui in cura sunt esse depouendos et se iure debere implicari, utpote omnia bene acturos asserunt, multa et magna apud se pertractant, mira se facturos intra se depingunt, sub unius noctis spatio innumera debita persolvunt, edificia multa iacentes in lectis suis construunt, omnia que desunt habuntanter adquirunt in omnibus que in hunc modum intra se resolvunt; quasi in aeris vacuo et aque fluido pictores fiunt, multa inprimunt, sed inpressione sua nulla penitus signa apparere possunt.

Etiam quamplures sed in sompnis divitias possident, quia in hiis singulis non nisi sompnum et ipsum fantasticum vigilantes vident.

Cum autem contigerit ad publicum vocari, sicut ipsi in multis sepe vidimus, ostendunt se velle reniti: unde et se prosternunt, minus se ydoneos ad hec ore dicunt, nequaquam se in hiis que ad hec necessaria sunt prudentes se esse fatentur.

Inopportune petunt ne implicentur, pacem se magis et quietem quam sollicitudines amare et occupationes asserunt. Tandem, post siccas lacrimas et letos merores, ne inobedientes esse videantur, voluntaria quasi, coactione compulsi, diu ante nocte desideratum quod iniungitur, suspiciunt et egredientes se totos in hiis que extra se sunt, effundunt.

Iam cum prelatiis suis habere pacem incipiunt, quibus antea multociens gravissimas perturbationes inferre soliti erant. Iam bene in omnibus presunt, qui male prius in omnibus prefuerunt.

Iam omnia reformata ²⁵⁾ et composita sunt, quae prius distorta et destructa fuerunt; sed cum omnia magis modo quam prius in deterius vergant, omnes nimirum non modo prope sed et longe positi evidenter considerant, quidem etiam naviculam parvissimam regere modica quoque serenitatis hora in exiguo etiam flumine prorsus ignorant, qui navim quam maximam longo tempestatis tempore se recturos, dum stare se videbantur in litore, promittebant. Cum tales te contigerit intueri, scias pro certo non multum eis sapere in palato mentis saporem suavem et suavitatem sapidam huius de quo ²⁶⁾ loquimur sepulcri.

Et licet habitu videantur religionis sub sancte professionis loris induti, quia tamen semper et ubique quantum possunt et paterne resistunt paci et sociali, quousque occupationibus eos contingat

²⁵⁾ A: reformorta.

²⁶⁾ A: de loco quo.

exterioribus implicari ; in hoc nimirum mihi videntur magna ex parte ad seculum quod reliquisse se visi sunt esse reversi, qui despecta et abiecta interne quietis dulcedine, ad quam inveniendam, habendam, gratandam, retinendam sancte novitatis habitum susceperunt, rursus nimis frontose et impudenter se ingerere non erubescunt, ut retinaculis sint exteriorum negotiorum irretiti, magis quidem inquietudine propria et curiositate elata et elatione curiosa foras excussi quam iussione paterna vel necessitate fraterna compulsi.

Multum fuerunt ²⁷⁾ dissimiles isti duo carthusienses in eadem domo : gloriosus iste magister ²⁸⁾ Ada et ille Alexander de quo loquitur magister Petrus in hac epistula.

Fol. 83^r, marg. infer. Magister Ada carthusiensis ad claustrales in meditatione sua sabbato sancto Pasche. Itaque teipsum intra quietis tue archam contineas, oculos per fenestras aperi et ipsos etiam rerum dominos considera, eorumque curam et sollicitudines tue quieti assimila. Videbis, si plene eas comprehendis, visione tue nullatenus quiete conversationi equari posse.

Considera barones et milites, cives et procures, duces et comites, reges et imperatores, satrapes et principes, universos denique et quantum ad generosam stirpem nobiles et ad multimodas possessiones perdivites ; et ut ad ipsos veniam sancte Ecclesie prelatos : intuere archidiaconos et decanos, thesaurarios et primicerios, priores et abbates, prepositos et presbiteros, episcopos et archiepiscopos, primates et patriarchas, legatos et cardinales ; ipsum quoque non obmittas conspiciere summum pontificem qui in terra non habet superiorem, quem papam, id est patrem patrum, Ecclesia consuevit vocare : qui totius Ecclesie rector primus et maximus est, sedis apostolice in romana Ecclesia successor, cui, cum vice beati Petri apostolorum principis presideat, et claves ligandi et solvendi omnia super terram habeat ²⁹⁾, obtemperare sine ulla exceptione omnis ordo ecclesiasticus debet, ita ut hereticum esse constet qui cum sancta romana Ecclesia non concordat. Collige et universos sub oculis tuis ullo excepto quicumque in Ecclesia vel potentiores sunt vel locupletiores, servi tui sunt secundum quemquam vite modum universi, nec tue possunt serenitati tranquille

²⁷⁾ Morin : sunt.

²⁸⁾ Omit. Morin.

²⁹⁾ Cfr. Matth. XVI, 19.

et tranquillitati serene comparari. Nam et si superiores te esse videantur quantum ad potestatem, sed longe inferiores sunt quantum ad quietem, quia tu quidem stas in securo solido littoris, illi vero in profundo navigant maris, fluctuum absque aliqua cessatione servicias et tempestatum procellas multas ac magnas tolerantes a quibus tu liber et immunis es.

Sed dicis esse divites : apud semetipsos multociens sunt pauperes, quia ubi multe sunt opes, multi et qui comedunt eas ; et plerumque non habent nisi aliena diripiant, dum qui non habent quod habere concupiscunt in suis semper oculis inopes sunt. Hoc quippe non est divitem esse, multa habere pluraque possidere, sed hoc potius est divitem esse, nullo indigere ³⁰⁾.

Fol. 111^v, marg infer. Magister Ada carthusiensis convertens sermonem ad claustrales.

Quid est cum Christo mori ? Ab omni penitus quod illicitum est, sive carnale sit quantum ad voluptatem, sive mundiale quantum ad curiositatem, seu diabolicum quantum ad tumorem superbie, quantum ad horrorem malitie, modis in se omnibus penitus mortificare. Dicit namque Apostolus quod « qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis » ³¹⁾. Dicit etiam : « quosdam et quidem multos inimicos esse crucis Christi quorum Deus venter est et gloria in confusione eorum, qui terrena sapiunt » ³²⁾.

Qui autem tales sunt Christo commortui non sunt. Quid est cum Christo sepeliri ? Ab omnibus mundi huius occupationibus morden- tibus, in quibus est afflictio spiritus, evisceratio mentis, agonia cordis ; ab omni etiam cura rei familiaris ; et quia necdum ad plenitudinem tante perfectionis id satis est, a cunctis quoque tumultibus intrinsecus ut assolet in animo strepentibus funditus alienari, et in ipso sereno et ameno, iocundo et leto, tranquillo et quieto consciencie mundo et clare secreto, quasi in quodam intimo latibulo abscondi.

Item Magister Ada ad quosdam claustrales de eadem meditatione inferius. Sunt quam plures quos minime occupationum exte-

³⁰⁾ Cfr. *Sermo XXXVII. In dominica infra octavam Nativitatis Domini* (P. L. 198, col. 335-36).

³¹⁾ Gal. V, 24; cfr. *Sermo XLI. In die circumcisionis Domini* (P. L. 198, col 374).

³²⁾ Ad Philipp. III, 18-19.

riorum sollicitudo tenet implicatos, nec tamen secreta in se habet eos conversatio occultos, quia vel vana quoque et frivola faciunt, vel rumoribus et novitatibus atque nugis audiendis intendere, vel certe relictis maturitate silentii, per viciū multiloquii quod mentis quam maxime solet confringere et emollire vigorem, dissipari et dispergi et a se penitus alienari non pertimescunt. Hos quodam modo dixerim utcumque mortuos, sed non audeo dicere esse sepultos, quia mortem eis quandam ab exterioribus quoque modo cessatio confert, quasi sepulcrum interne eis quietis relictio aufert, nec vivunt in publico exterioris occupationis, nec in occulto sunt sepulti interioris quietis. De illa vero anima que talis est, sanctus Ieremias : « Viderunt », inquit, « eam hostes et deriserunt sabbata eius » ³³⁾, quia cum talem eam spiriti maligni reperiunt falsam hanc eius quietem et omnino inutilem et reprobatione digna deprehendunt : et eam nec sibi salubrem nec Deo placitam sciunt. Verus quippe interne quietis amator, omnium eorum que hanc in aliquo possunt imminuere quietem, perfectus debet esse contemptor et ideo non solum ab externis est ei operibus cessandum, sed et ab audicione vana et locutione ociosa, atque ab actione minus necessaria est ei modis omnibus abstinendum, ut quo magis ab exterioribus vacat, eo et plus interioribus intendat.

Fol. 114^r, marg. infer. Magister Ada cartusiensis. O quam dulce et suave, quam amabile et delectabile, quam bonum et quam iocundum ³⁴⁾, quam sincerum et serenum, quam amenum et clarum, quam pulchrum et speciosum, quam decorum et gloriosum istud geminum exercitium, cui nescio certe si quid in hac vita possit conferri.

Absit semel et iterum, absit sepe et semper a me temerarium istud, ut dicam quicquam, quantumcunque videatur supereminens et precellens, ei posse ullo modo preferri.

Quid enim excelsius, quid excellentius quam apponere te aures tuas ad os ipsius Dei, quod quidem facis cum studiose legis ; quam apponere te os tuum ad aures eius, quod nilominus tu facis cum devote oras ? O quam magnum quid ut tu audias Deum, ut te audiat Deus, tu loquaris illi et ille tibi ! Quam bene tecum agitur cum sibi invicem apud te succedunt !

³³⁾ Lam., 1, 7.

³⁴⁾ Cfr. De quatripartito exercitio cellae (P. L. 153, col. 826).

Quam breve tibi debet videri omne tempus quantumlibet sit longum, cum apud te istum continuum celebrari contingit successum !

De lectione ad orationem, de oratione ad lectionem, quid, quaeso, dulcius et suavius non dico est sed vel esse potest ? In una splendor, in altera calor : splendor cognitionis, calor amoris ; ut et ille ad effectum sanctitatis illustret intellectum et iste ad desiderium felicitatis inflammet affectum. Videte, queso, etc. Attende quod loquitur de secreta conversatione et studiosa lectione Magister Ada.

Fol. 127^r, marg. infer. Magister Ada carthusiensis de clamore claustralium.

Itaque clamor noster, perscrutatio est anteacte vite nostre. Clamor noster : medullata, succensa et fervens contritio nostra, humilis, pura et fidelis confessio nostra. Clamor noster : plena ac perfecta patientia in egritudine, examinatio pristina conversationis nostre, valida instantia in gratiarum actione.

Clamor noster : devota et fidelis perceptio unctionis sancte in ipsa hora resolutionis nostre.

Clamor denique noster : studium diligens et diligentia studiosa preparationis nostre : in qua, si instanter vigilamus, digni erimus ut beati dicamur et simus quia cum venerit Dominus et pulsaverit, confestim ei aperimus, si hec hiis modis facimus.

Sic autem clamantes necessitate habemus ut in manus Patris spiritum commendemus ³⁵⁾, quatinus cum egredi de corpore urgemur, omnibus aliis de corde nostro affectibus eiectis, cunctis aliis negociis et occupationibus oblivioni ex toto traditis, ipsis etiam parentibus et necessariis amicis ab effectu omni qui inpediat penitus exclusis, soli Deo intendamus. Illum semper in conspectu nostro provideamus, ad illum solum cordis nostri oculos levemus, ipsum esuriamus et siciamus, ipsi inhiemus, ad ipsum anelemus, in ipsum tunc quicquid sumus, quicquid scimus, quicquid possumus ³⁶⁾, quicquid habemus sensus et memorie, rationis et cognitionis, intellectus et affectus, cogitationis et intentionis, desiderii et voluntatis, figamus, tendentes ad illum, requiescere cupiamus in illum, nulli rei, nulli creature ipsum non modo preponentes, sed nec alicui comparantes, ipsum

³⁵⁾ Cfr. Luc., XXIII, 46.

³⁶⁾ Cfr. *De ordine...* (P. L. 198, col. 485).

etiam solum esse deputantes, velocem hunc interni desiderii nostri cursum, sicut ultra ipsum extendere non valentes, sic nec cura ipsum non solum terminare, sed nec unquam tardare volentes. O quam bona commendatio ista ! Sed et bonus nilominus clamor de quo ante egimus.

Vultis audire clamantem ? « Emundemus nos ab omni inquinamento carnis ac spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei » ³⁷⁾.

Audite adhuc cum metu et tremore : « Vestram ipsorum salutem operamini ». Adhuc audite : « Deponite vos, secundum pristinam conversationem, veterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris ; renovamini autem spiritum mentis nostre, et induite novum hominem qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis » ³⁸⁾. Vultis etc.

Fol. 132^r, marg. infer. Require supra in quinto folio, in margine, scilicet quandam notam de meditatione magistri Ade carthusiensis, et vide qualis debet esse clamor religiosorum.

Fol. 133^v, marg. infer. Magister Ada carthusiensis ad quosdam religionis habentes habitum sed nimis seculares. Consulo, moneo, exoro, ut ambuletis digni Deo vocatione qua vocatis estis, et exteriorum negotiorum occupationibus implicari, non solum non desideretis, sed quantum ratio dictaverit et ius atque fas consenserit, omnibus secundum Deum modis devitetis, fugiatis, abhorreatis. Sed quidam fortassis ad hec, qui utinam tantum essent amatores interne quietis, quantum sunt externe vagationis : « quid ergo ? Nunquid omnes in monasteriis debent esse claustrales, officiales nulli ? In quiete sedebunt universi, exteriora negotia nulli procurabunt ? Omnes ad pedes Iesu, ut audiant verbum illius cum Maria sedebunt, Marthe vero ministerium nulli complebunt ? » ³⁹⁾.

Non hoc ego dico, non ita sentio.

Nam obedientiarii in monasterio erunt, sed qui a prelatiis suis ad sollicitudinem vocati sunt, non qui se impudenter ingerunt ; qui ab aliis quorum hoc considerare interest, iudicantur ydonei et egre-

³⁷⁾ II Cor. VII, 1 ; cfr. fol. 23^v ; Sermo XLI In die Circumcisionis Domini (P. L. 198, col. 374).

³⁸⁾ Ephes. IV, 21-24.

³⁹⁾ Cfr. Luc. X, 39 ; De tripartito tabernaculo, Proem. I (P. L. 198, col. 619).

diuntur non falso et fecte, sed pure et veraciter inviti. Quatinus pariter et illi inportuni repellantur et isti verecundi non modo admittantur, sed etiam compellantur.

Nam sunt sicut qui nimis frontose se ingerunt, sic quoque et qui modo verecunde excusant, se nimis obstinate recusant; et sicut illi omnino reprobandi, sic et isti nilominus inobedientes sunt. Quid ergo? Utique ut qui propria voluntate sua, non autem invitante iussione paterna, non exigente necessitate fraterna ⁴⁰⁾ nituntur egredi, cogantur includi; et qui vocantur ut egrediantur ed ad hoc iudicantur ydonei, compellantur ⁴¹⁾ et inviti.

Veruntamen consilium meum est, ut quamdiu necessitas non exigit, maxime autem obedientia paterna non cogit, in latibulo sepulcri tui te teneas et ab eo ad publicum, quantum in te est, non procedas.

Iam in sepulcro es cum Iesu; es et in archa cum Noe. Vide ergo ne de archa tua, id est internum cordis tui secretum, exire presumas, ne diluvii aquis interceptus earumque profundis immersus, suffocatus pereas.

Quid enim aque diluvii, nisi fluitates sunt concupiscentie huius mundi? Qui de archa exit, aquis nimirum diluvii inmergitur, quia, qui serenum quiete sue conversationis secretum deserit, profundis quoque mundi huius concupiscenciis suffocatur.

Aperi fenestram, diligenter extendi considerationem tuam, vide quia ubique aque diluvii super terram sunt, id est mundi huius concupiscentie terrenorum amatores operiunt » ⁴²⁾.

FR. PALLESCHI.

⁴⁰⁾ De tripartito tabernaculo. Proem., I (P. L. 198, col. 618).

⁴¹⁾ A: copellantur.

⁴²⁾ Cfr. De triplici genere contemplationis (P. L. 198, col. 821); Ad viros religiosos (Ed. PETIT), Sermo XII, 227-28.